

CASUS
DE LOCATIONE
ET RELIQUIS CONTRACTIBUS ONEROSIS
SEU

De locatione personali et reali, de emphyteusi, de societate, de cambio, de negotiatione pecuniæ, de censu, de fidejussione, pignore, asservatione, hypotheca, de sponsione et ludo.

CASUS I.

LOCATIO PERSONALIS.

EUPHRASIVS famulum simul et famulam ad annum conduxerat. Post duos menses advertit famulum esse aliquatenus incuriosum, nec satis in verbis discretum, quippe qui audita in domo facile alibi narraret. Quapropter illico, mercede pro duobus mensibus persoluta, eum abiecit. Paulo post famulam infirmam ad suos parentes, recuperandæ sanitatis gratia, etiam dimisit. Hæc autem post octo dies jam sanata rediit, suum famulatum prosecutura. Sed iterum dimissa est, eo quod herus aliam jam ancillam conduxerat; non potuerat enim, ut aiebat, tanto tempore famula carere. Nec aliam mercedem illi ancillæ dimissæ, nisi pro duobus mensibus, solvit. Quapropter factum est ut tum famulus, tum præsertim famula, alium dominum intra annum facile non invenientes, egestate pressi fuerint.

HINC :

QUÆR. 1° An EUPHRASIVS, ob præfatas causas, famulos dimittere potuerit?

2° An aliam mercedem eis juste denegaverit?

3° An merces debeatur sive famulis, sive operariis, si ad breve tempus infirmentur?

SOLUTIO :

970. — R. ad 1^m Quæst. 1° Quoad famulum. EUPHRASIVS famulum dimittere non potuit, si fuit tantum aliquatenus incuriosus et indiscretus, ut ex casu apparet. Ratio est, quia contractus locationis est vere onerosus, utramque partem obligans pro ratione materiæ. Ergo, quemadmodum famulus sine gravi causa herum deserere nequit, si hic, defectu famuli, damnum grave subire deberet, ita pariter neque dominus sine gravi causa famulum pro anno conductum abjicere potest. Atqui non videtur causa gravis, quod famulus visus fuerit aliquando incuriosus, aut minus moderatus in loquendo de rebus minoris momenti : ergo..... Etenim censetur hoc tacite inclusum esse in pacto locationis, quod talis famulus statim,

ob quoscumque leviores defectus, dimitti non possit, constituta mercede denegata. Sed prius de defectibus corrigendis admonendus est. Secus vero foret dicendum, si talis famulus deprehensus fuisset infidelis, aut luxuriæ deditus, vel si audita in domo cum magno familiæ dedecore alibi retulisset.

2° Quoad famulam. Neque hæc dimitti potuit ob infirmitatem ad paucos dies tantum habitam. Ratio est, quia contractus locationis, ut dictum fuit, onerosus est, utramque partem obligans ad non resiliendum sine gravi causa. Atqui brevis infirmitas causa gravis non æstimatur. Insuper, id quoque ex consuetudine universali locorum constat. Ergo...

971. — R. ad 2^m Quæst. EUPHRASIVS injuste egit stipendium famulis præfatis pro tempore tantum præstiti famulatus retribuendo, si aliud servitium decurrente anno invenire non potuerint. Etenim, ex dictis, injuste dejecti fuere : ergo jus habent ad damni reparationem, si quod existat; atqui, si alium locum non reperiant, magnum subeunt damnum : ergo ab EUPHRASIO reparandum est. *Elbel*, n. 168. — *S. Lig. n.* 858.

Objicies : Si quis conduxerit operarium, v. g. fabrum murarium, vel lignarium, vel cæmentarium pro construendo ædificio, et iis inter laborandum, ex alto decidens, lædat sibi crus vel brachium, et opus prosequi nequeat ad plures dies, licebit alium conducere, dimisso infirmo : ergo in nostro casu licet famulam dimittere.

R. Neg. paritatem. Opifices enim ad singulos dies conduci solent; quare iis merces pro singulis diebus rependitur, et proinde singulis diebus dimitti possunt. E contrario famuli regulariter ad annum conducuntur, ita ut, invito domino, officia sua alteri locare nequeant. Ergo naturalis æquitas exigit, ut et ipsi a domino sine gravi causa dimitti non possint.

972. — R. ad 3^m Quæst. 1° Merces debetur famulis ad breve tempus infirmis, v. g. ad paucos dies, quia tempus anni, ad quem conducuntur, moraliter accipiendum est, seu ad breve tempus deficiens non est attendendum; parvum enim tempus respectu totius anni pro nihilo reputandum est. Secus vero, si famulus ægrotet ad plures menses, quia merces pro officio non præstito minime debetur. Neque tenetur dominus ad expensas pro curatione, seu pro remediis et medici opera faciendas. De hoc conveniunt omnes, si expensæ sint notabiles; imo id etiam admittit *S. Lig. n.* 864, *post Lugo*, saltem ut probabile, si expensæ sint leves.

2° Non debetur autem merces ulla operariis, etiam ad breve tempus ægrotantibus, quia isti ad diem conducuntur, ut supra dictum est : ergo pro singulis diebus tantum, imo pro media diei parte, si per mediam diem deficient, iis retribuendum est.

CASUS II.

LOCATIO REALIS 1°.

1° CRISPINUS agros ad quinquennium locaverat PAULO; sed huic infausta successit locatio! Etenim, uno anno, agri ob sterilitatem nihil aut admodum parum protulerunt; alio autem anno fruges, partim pluvia

inundante, partim grandine vastatæ sunt. Quamobrem PAULUS locatorem rogavit, ut tributi partem remitteret. Id vero CRISPINUS absolute recusavit. Hinc PAULUS, ut se a tanto damno partim compensaret, aliquid aliis annis occulte subripuit.

2° FAUSTINUS pingue prædium LAURENTIO locaverat. Sed, ingruente bello, agri a militibus populati sunt. Quare LAURENTIUS remissionem annuæ pensionis postulat. FAUSTINUS indignabundus hominem a se repellit, quia, ait, quando omnia fausta colono succedunt, non solet dominus majus tributum exigere, nec proinde, si adversæ sint res, imminuendum est, nec a fortiori ex integro remittendum.

HINC :

- QUÆR. 1° *An locator aliquando teneatur tributum, saltem partim, colono remittere?*
 2° *An CRISPINUS in primo casu, et FAUSTINUS in secundo casu, potuerint imminutionem pensionis denegare?*
 3° *An PAULUS, in primo casu, potuerit se compensare?*
 4° *Quid, si colonus habuit quidem messem faustam, sed tamen omnes fructus jam in horreum collectos amisit, sive hostium direptione, sive incendio?*

SOLUTIO :

973. — *R. ad 1^m Quærs.* Per se de jure naturali, ad rigorem loquendo, nunquam locator pensionem debitam colono remittere tenetur, quia infortunia naturaliter ipsi obveniunt. Etenim res quæ casu fortuito seu extraordinario destruitur, perit domino; atqui locatarius est fructuum colligentorum dominus: ergo... Dixi... per se, quia conventio generali, jure confirmata, introductum est ut, si ingens sit jactura, aliquid remittatur; si vero sit totalis, ut damnum inter utrumque, locatorem scilicet et locatarium dividatur. Si taliter autem non constitutum fuisset, locatarius minus tributum persolveret. *S. Lig. n. 860.* — Concinit Jus Gallicum. *Cod. civ. art. 1769 et seq.*

974. — *R. ad 2^m Quærs.* 1° CRISPINUS non potuit denegare omnem pensionis imminutionem. Ratio patet ex dictis. Etenim, occurrente calamitate, pro rata hujus infortunii, de pensione a locatore remitti debet. Atqui in casu nostro supponitur adfuisse sterilitas valde notabilis, vel alia ingens calamitas, qua fructus plerique perempti sunt: ergo pars etiam notabilis præstandæ pensionis condonari debuit. Excipe, nisi conventio inita fuerit inter contrahentes, vi cujus nihil in quocumque casu remittendum foret; sed tunc pensio notabiliter minor, in compensationem talis periculi, a locatore exigenda est. *Elbel, n. 663.* — *S. Lig. n. 860.*

975. — *Quid de FAUSTINO?* Cum casus similis sit ac præcedens, quoad rei substantiam, eadem etiam solutio danda est. Vastatio enim agrorum ab hostibus facta, ut extraordinaria calamitas habenda est. Ergo FAUSTINUS, haud secus ac CRISPINUS partem debiti pro rata damni extraordinarii condonare debet. Nec valet ratio a FAUSTINO adducta, scilicet, quod major pensio a locatario, dum res prospere cedunt, non solvatur; quia

commodum illud non est adeo notabile ac damnum quod in magna calamitate advenit, et per annos mediocris fertilitatis facile compensatur. Cæterum, dicunt merito plures eximendum esse locatorem a pensionis remissione, si per plures annos successivos fertilitas extraordinaria habita fuerit, quod rarissimum est. *S. Lig. n. 860.*

976. — *R. ad 3^m Quærs.* Non potuit licite. Ratio est, quia occulta compensatio licita non est, etiam stante certa injuria, quando debitum alio modo recuperari potest. Atqui in nostro casu facilis recursus ad judicem patet: ergo per hanc viam quod suum est repetere debet. Attamen hæc compensatio injusta dici nequit.

R. ad 4^m Quærs. In hoc casu colonus imminutionem pensionis exigere non potest, ut videtur, saltem probabilius. Ratio est, quia, quando fructus jam sunt in horreum collecti, pleno jure sunt in dominium locatarii; nec conventiones, aut leges, ex quibus tributum, ingruente extraordinaria calamitate, minus solvendum est, hunc casum respicere videntur. *Elbel, n. 673.* — *Lacroix, lib. 3, part. 2, n. 1049, contra Lessium et alios.* In praxi, sane locator ante sententiam judicis ad nihil teneretur.

CASUS III.

LOCATIO REALIS 2°.

QUIRINUS a quodam divite molendinum in locationem susceperat, sub certa pensione ad festum S. Michaelis solvenda. Molendinum illud novus colonus, vir industrius, propriis expensis novo aquæ ductu melioravit. Verum, anno nondum elapso a tempore susceptæ locationis, exorta subito tempestate, mense julio, imber tam horribilis depluit, ut rivus omnino exundaverit, et impetu aquarum a fundamentis molendinum corruerit, non sine magno detrimento et periculo QUIRINI, cui sola area ab aquis illæsa ad se cum familia recipiendum superfuit.

HINC :

- QUÆR. 1° *An QUIRINUS integram pensionem locatori, seu domino, solvere debeat?*
 2° *Quid juris, si domus locata, incendio vel alio casu fortuito, pereat?*

SOLUTIO :

977. — *R. ad 1^m Quærs.* Neg. Sed tenetur tantum locatarius ad solvendam pensionem pro rata temporis, quo volvente utilitatem ex molendino percepit, quia pensio illa constituta fuit propter usumfructum ex molendino percipiendum; atqui per anni tantum partem locatarius usumfructum ex molendino collegit: ergo, pro rata illius partis solius, stipendium solvere debet; postulat enim æquitas naturalis, ut nihil solvat pro tempore quo re frui non potuerit, cum nullam utilitatem ex ea habere possit. Jam satis est igitur, ut ipse jacturam ferat expensarum quas ad meliorandum molendinum fecit. *Elbel, n. 700.*

R. ad 2^m Quæ. In foro conscientiae locatarius ad nihil tenetur, si absque culpa ipsius domus destructa fuerit, ut patet ex dictis de injusto damnificatore. In foro autem externo, locatarius de damno tenetur, nisi probet illud absque sua culpa evenisse, saltem ex lege gallica. *Art. Cod. 1734.*

CASUS IV.

EMPHYTEUSIS.

MARCULFUS, colonus, prædium sat pingue in emphytheusim pro tributo relative tenui, ad decem annos a PALMATIO, viro divite, acceperat. Mortuo paulo post domino, NARCISSUS, ejus filius, de augendo tributo statim cogitat, et colono insinuat, eum, nisi velit, loco 100 aureorum, 150 in posterum solvere, a villicatione amovendum esse, quum alium colonum invenerit qui ad pensionem adhuc majorem solvendam paratus sit. Quid faciet miser? malleum inter et incudem constitutus, annuit, licet ægre, et requisitum censum persolvit.

HINC :

QUÆR. 1^o *An NARCISSUS juste potuerit colonum cogere ad istud pensionis incrementum?*

2^o *An colonus se occulte compensare potuerit, cum invitus in pensionem augendam consenserit?*

3^o *An, colono annuente, seu ægre consentiente, dominus pensionis incrementum acceptare seu retinere potuerit?*

SOLUTIO :

978. — *R. ad 1^m Quæ. Neg.* Omnino injuste egit NARCISSUS. Ratio evidens est. Etenim ex contractu colonus jus strictum habet ad fruendum prædio per 10 annos ergo, donec fuerit completum tempus conventionis præfixum, non potest ab ejus possessione dejici. Ergo NARCISSUS non potuit pensionem adaugere, neque expulsionem comminari; ergo id faciendo injuste egit. Insuper æquitati repugnat, ut quis petat solutionem illius quod in ejus potestate non est; atqui jus fruendi præfato prædio non erat in potestate NARCISSI, cum jus illud ab ejus patre in MARCULFUM, colonum, translatum fuerit. Ergo pro hoc non potuit juste tributi incrementum exigere.

979. — *R. ad 2^m Quæ.* Non potuit licite, si jus suum in judicio probare potuerit; quia non permittitur a Theologis occulta compensatio, nisi quando quis id quod certo suum est alio modo obtinere nequit. Secus, si jus probare nequeat, v. g. si contractus non fuerit actu authentico initus, vel si titulus sit amissus. Attamen hæc compensatio ut injusta non est reprobanda. *V. dicta supra, n. 573 et seq.*

980. — *R. ad 3^m Quæ. Neg.* NARCISSUS, etiam annuente colono, non potuit tuta conscientia incrementum pensionis acceptare, nec retinere. Ratio est, quia consensus gravi metu injuste incusso datus non est moraliter liber, et hoc ipso nullus est. Nemo enim libenter consentit, quando

necessitate morali ad consentiendum adigitur. Si igitur MARCULFUS aliquem dedit consensum, id tantum fecit ad majus malum vitandum. Ergo NARCISSUS ad restitutionem erga colonum absolute adstringendus est. *Elbel, n. 697. — Lacroix, l. 3, part. 2, n. 10.*

CASUS V.

SOCIETAS 1^o.

GERMANUS, ab aliis ad ineundam societatem sollicitatus, diu reluctaverat, quia negotium propositum ipsi videbatur magnum periculum sortem amittendi præbere. Tandem, ut se ab hujusmodi sollicitatione eriperet, annuit, ea tamen conditione ut reliqui socii pecuniæ periculum in se susciperent, et, casu quo tota summa deperiret, eam sibi restituerent. Ipse e contrario, pro casu quo magnum lucrum perciperent, minori parte illius vellet esse contentus, scilicet, tertia parte lucri suæ portioni correspondentis, ita ut v. g. pro 3,000 fr. mille tantum acciperet, reliqua aliis relinquens. Annuitibus sociis, contractus in hunc modum fuit initus et perfectus. Subinde vero, conscientiae stimulis agitatus, GERMANUS Confessarium adit, et ab eo petit utrum justus foret hic contrahendi modus. Respondit Confessarius injustum esse, usurarium, et a Sixto V. prohibitum; proinde absque mora rescindendum esse.

HINC :

QUÆR. 1^o *An reapse injustus sit contractus societatis, in quo unus eximitur a periculo sortem amittendi, ita ut lucrum minus percipiat? seu, an injustus sit contractus trinus?*

2^o *An confessarius potuerit GERMANUM obligare, sub denegatione absolutionis, ad contractum suum rescindendum?*

3^o *An contractus trinus a Sixto V. prohibitus fuerit?*

SOLUTIO :

981. — *R. ad 1^m Quæ. Neg., saltem probabilius.* Ratio est, quia singuli contractus seorsim sumpti, seu si fiant cum diversis personis, sunt liciti et justus: ergo non possunt esse injusti, si omnes simul in eodem contractu inter duos homines concurrant. Insuper nulla violatur æqualitas in trino contractu, quia datur compensatio, et periculum a tribuente pecuniam æquivalenter sustinetur: nam, si periculum fere omne amoveatur, lucrum tenue etiam percipitur, per modum compensationis. Præterea valet sane contractus quo quis se obligat ad periculum rei v. g. commodatæ aut locatæ suscipiendum, modo onus sufficienter ab altero contrahente compensetur. Quidni ergo idem facere posset socius in commercio, cui magnum præstatur commodum, siquidem, sine pecunia quæ ab uno tribuitur, alter negotiationem assumere aut prosequi non posset?

982. — *R. ad 2^m Quæ.* Confessarius non potuit obligare GERMANUM ad contractum hunc societatis rescindendum. Etenim ex dictis contractus ille fuit validus et licitus, saltem probabilis; atqui, dum pœnitens vult sequi opinionem vere probabilem, a Doctoribus approbatam, Confessa-

rius nequit eum impedire, neque sine gravi injuria absolutionem ei denegare. Ergo...

983. — *R. ad 3^m Quæst. Neg.* Etenim, licet *Sixtus V.* in Const. *Damnabilis*, damnaverit contractus, quibus fit ut in societate unus certum lucrum obtineat quin damni periculum subeat, hoc tamen est intelligendum de pactis injustis, in quibus, scilicet, æqualitas lucri et damni non servatur. Ipsemet enim hac de re interrogatus respondisse fertur, se solum voluisse contractus injustos prohibere. Cæterum *Benedictus XIV.* declarat, in opere *de Syn. diœcesana*, *Sixtum V.* contractum trinum non damnasse, neque se intendere damnare. *Elbel*, n. 608. — *S. Lig.* n. 908-909. — *V. Compend.* n. 917-919.

CASUS VI.

SOCIETAS 2^o.

1^o SERGIUS mille francos LUCIO, mercatori, in commercium impendendos, contulit. LUCIUS lucrum 2,000 francorum obtinuit. SERGIUS autem, præter sortem, dimidiam lucri partem repetit.

2^o HORMISDAS mille fr., in officio commissarii bellici male acquisitos, tribuit ZOZIMO qui in lignis negotiatur apud Hollandos, ut in lucri partem veniat. ZOZIMUS lucratus est semel mille francos, et alia vice ratis lignorum periit. HORMISDAS integram suam summam a socio suo requirit.

HINC :

QUÆR. 1^o *An medietas lucri a LUCIO, mercatore, percepti, SERGIO competat in primo casu?*

2^o *An HORMISDAS, in secundo casu, lucrum ex pecunia furtiva proveniens ex parte possit repetere?*

3^o *An idem HORMISDAS ad sortem suam ex integro repetendam jus habeat?*

4^o *Quid dicendum, si ZOZIMUS ratem suam, quidem in Hollandiam deduxisset, sed impensa sua industria nihil lucratus fuisset?*

SOLUTIO :

984. — *R. ad 1^m Quæst.* SERGIUS minime jus habet ad lucri medietatem, sed tantum ad fenus juxta taxam legis, seu ad 6 pro 100. Ratio est, quia non veram societatem cum LUCIO inivit, sed tantum pecuniam suam ipsi mutuo tradidit. Etenim in contractu societatis, ex naturali æquitate, omnia debent esse communia, scilicet, tam pericula quam commoda; atqui in casu nulla apparent pacta ex quibus SERGIUS æqualiter pericula subire debeat: ergo neque lucrum ad æqualitatem cum LUCIO partiri potest.

985. — *R. ad 2^m Quæst. Affirm.* Ratio est, quia, licet HORMISDAS graviter peccaverit præfatam pecuniam subducendo, et sub gravi ad eam restituendam teneatur; attamen lucrum, quod ex ea percepit, suum fecit, utpote industriæ suæ tribuendum. Ergo potest lucrum illud pro sua parte

requirere et retinere. *Recole dicta supra, de possessore malæ fidei, n. 612.*

986. — *R. ad 3^m Quæst.* HORMISDAS nihil habet reclamandum, siquidem sors periit, et ipsimet periit: nam res perit domino; atqui ipse erat pecuniæ dominus: ergo... Etenim, in contractu societatis, pecunia vel res collata remanet sub dominio conferentis, ita ut, si pereat sine culpa alterius, pereat conferenti, utpote ejusdem domino. Ergo HORMISDAS nihil de sorte reclamare potest. Id autem non impedit quominus mille francos furtivos restituere debeat.

987. — *R. ad 4^m Quæst.* In hac hypothesi HORMISDAS jus ad sortem integre reclamandam haberet, cum non periisset; sed ad nihil amplius jus haberet, nullo existente lucro. Imo expensarum partem *pro rata* participationis in societate solvere tenetur; nam impensæ et damna inter socios communia esse debent.

CASUS VII.

CAMBIUM 1^o.

ALBANUS, Gallus, in Hispaniam proficiscens, cum Baionam devenisset, a LAMPRIDIO campore, petit ut monetam hispanicam pro gallica sibi permutaret. Libenter annuit campor; sed cum moneta hispanica minoris valeret in Gallia, et insuper magna copia hujusmodi monetæ a viro peregrino postularetur, hic magnum subiit detrimentum, quod in camporis favorem cessit. ALBANUS vix Hispaniam fuerat ingressus, cum, urgente gravi causa, in patriam et in familiam regredi debuit. Tunc iterum eundem camporem Baionæ adiit ut mutationem prius factam solveret, et aliud notabile damnum pati debuit.

HINC :

QUÆR. 1^o *An justa fuerit duplex præfata permutatio ex parte camporis?*

2^o *Si LAMPRIDIVS sciat relatione privata pecuniam hispanicam proxime perdituram esse de valore suo extrinseco, poteritne tali peregrino, rei ignaro, numerare monetam talem in actuali valore?*

SOLUTIO :

988. — *R. ad 1^m Quæst. Affirm.* Ratio est, quia, quamdiu mercator manet intra limites justii pretii, tamdiu non peccat contra justitiam; de campore autem idem ac de mercatore dicendum est, siquidem campores sunt proprie pecuniæ mercatores. Atqui LAMPRIDIVS mansit intra limites justii pretii, licet acceptaverit pecuniam gallicam in infimo pretio, hispanicam vero in summo pretio rependerit. Ergo... Etenim, si quis panem in infimo pretio cum vino in summo pretio commutasset, de injustitia sane arguendus non esset. Ergo a pari, nec damnari debet LAMPRIDIVS ex eo quod, acceptando monetam gallicam in infimo pretio, hispanicam vicissim numeravit in summo valore. Porro, si id facere potuit prima vice quando

ALBANUS in Hispaniam tenderet, idem etiam iterare valuit quando, ex Hispania rediens, Galliam repeteret. Nec refert quod ALBANUS inde multum perdidit; hoc enim mere per *accidens* factum est, et LAMPRIUS ad hujusmodi damnum mere permissive se habuit. Ergo non injuste egit; ergo non est inquietandus. *Elbel, n. 602.*

989. — *R. ad 2^m Quæst. Affirm.* Ratio est, quia pecunia illa adhuc, in communi aestimatione hominum, suum valorem servat. Secus vero, si constaret illam pecuniam jam suum valorem antiquum perdidisse, quia tunc campsor pecuniam non amplius expenderet juxta præsentem suum valorem. *Elbel, n. 604.*

CASUS VIII.

CAMBIUM 2°.

VALESIVS, campsor, e pecunia mutuo tradita, fenoris, seu lucri titulo, 6 vel 7 pro centum, imo 8 vel 9 percepit, his ductus rationibus, scilicet: 1° quia se habet ut pecuniæ mercatorem; 2° quia varia sortis pericula sæpius incurrit; 3° quia magnam pecuniæ copiam ostiosam semper penes se habere debet, ut omnibus pecuniam petentibus satisficiat, necnon ut propriis obligationibus impar non efficiatur, in casu quo ipsius debitores solutionem differant; 4° quia ipse pecuniam mutuo petit et sæpe petere tenetur, 5 0/0 solvendo; 5° quia, singulis trimestribus spatii, novæ fieri debent expensæ ad computationes instaurandas (*droits de commission*); 6° quia telonii expensas plurimas faciendas solvere debet.

HINC :

QUÆR. 1° *An campsores pro mutuo pecuniæ 6 vel 7 0/0 vel etiam amplius percipere possint?*

2° *Quid de VALESIO, ejusque rationibus?*

SOLUTIO :

990. — *R. ad 1^m Quæst.* Campsorum munus est *primario*, ut vox ipsa sonat, pecuniam permutare, vel alio transferre; *secundario* autem, et velut *accessorie*, pecuniam mutuo tradere. Quid accipere possint campsores ratione muneris *primarii*, seu ad pecuniæ permutationem aut translationem, non potest generali regula definiri. Consuetudini locorum et virorum proborum se conformare debent. Quid vero accipere possint ratione *mutui*, ex nulla lege speciali pro ipsis eruitur.

Quare præscripto generali subjici debent, *per se*, nisi aliquando ratione damni *emergentis* amplius accipere possint. Campsores igitur *per se* in mutuo non possunt excedere *taxam* legalem, 6 0/0 permittentem. Aliquibus in locis, ratione damni *particularis*, 7 0/0 permitti videtur, præsertim si ipsi pecuniam ab aliis *obtinere* nequeant, nisi censum legalem, seu 5 vel 6 0/0 solvant (1).

(1) Attende tamen ad varia loca, et virorum piorum praxim; vix enim in istis rebus regula generalis statui potest.

991. — *R. ad 2^m Quæst.* Quid autem de VALESII rationibus? Pleræque flocci faciendæ sunt: 1^a Ratio admittenda quidem est, quia campsor ut pecuniæ mercator habendus est, et hoc titulo 6 0/0 exigere potest ab iis quibus pecuniam tribuit, sed non amplius sola mutui ratione. — 2^a Ratio nihil valet, utpote nimis generalis. Etenim, si aliquando probabile sit sortis periculum, est casus particularis, in quo periculum illud aestimari potest, et, ratione illius, major census requiri. Sed numquid ideo 8 vel 9 ab omnibus indiscriminatim exigere poterit? Nequaquam. — 3^a Ratio etiam infirma est. Etenim, si pecuniam otiosam habere debeat, lucrum sat notabile ex alia pecunia mutuo tradita percipit, ut indemnus fiat. — 4^a Ratio jam ex dictis exsufflanda est, quia, etiamsi 1 tantum pro centum accipiat plus quam solvat, ratione multæ pecuniæ, lucrum non mediocre obtinebit. — 5^a Ratio fundamentum quidem quoddam habet, sed expensæ illæ scripturarum faciendarum, vel renovandarum, non tantæ sunt ut pro illis plus quam 6 aut 7 pro singulis centenis requirere debeat.

992. — Insuper notum est campsores non paucos scripturas inutiles sæpe facere, aut renovare, ut occasionem habeant censum majorem a mutuatoribus exigendi; quot sunt etiam qui, pro scripturis non factis vel simulatis, stipendium petunt? Dicunt enim se jus habere ad eas confiendas, et proinde mercedem posse repetere, perinde ac si perfectæ fuissent. Hæc praxis injustitiæ plena est. Quare enim pretium exigis pro labore quem non posuisti? Quare vis colligere ubi non seminasti? Quale jus habes ad inutiles expensas? — 6^a Ratio claudicat, expensæque telonii jam satis resarciuntur ex lucro proveniente de munere primario campsores, scilicet de permutatione vel translatione pecuniæ. Non desunt campsores qui 6 vel 7 ad summum requirunt, et statum suum tamen honeste servant.

CASUS IX.

NEGOTIATIO PECUNIÆ.

Acceptilatio et expensilatio (comptes courants) (1).

ONUPHRIUS, quærens modum facilem habendi pecunias, quibus aliquando eget, et pecunias, quas aliquando recipit, facile collocandi, adit ARGYROPHILUM, nummularium (*banquier*), quem sic alloquitur: « Visne mecum contractum inire, quo te obligabis ad recipiendas omnes pecunias quas tibi offeram, cum onere fenoris legitimi solvendi mihi, et ad præstandas mihi omnes pecunias quas a te repetam, cum pari onere fenoris legitimi ex mea parte solvendi? — Optime, inquit ARGYROPHILUS, et si tibi placet, post quodcumque spatium trimestre, compensationem instituemus, ita ut qui residuum aliquod debet, illud solvat, aut de novo debitor fiat, cum onere solvendi in posterum fenora fenorum elapsorum.... » Ita fit conventio.... Elapso autem primo spatio

(1) V. versionem gallicam hujus casus ad calcem vol., a. n. 1036 ad n. 1043.